

Cuius medietatem possident monachi et octauam partem residue medietatis quam emit idem abbas de ærinfridhi, in principali vero medietate que dicitur anaarua vbi monachi possident integrum bol et dimidium eidem abbati uendidimus nos omnes partes nostras, scilicet Gudmundus, Atto Ceterique excepta quarta parte de vno bol quam possidet Gyurdo, in hilda arvafiardhong, Cuius integrum terciam partem primo possident monachi, Nos de duabus reliquis videlicet hælgho et johannes Ceterique, excepta quarta parte dictarum duarum parcum quam possident Gyurdo, Eskillus et dominus beno, predicto abbati vendidimus omnes partes nostras, in skærfsioryd, sed nihil in starflohult nisi krunungabol, item in kutungafiardhong, Cuius medietatem leuant ipsi kutungi et medietatem, bildungi Nos haquinus hæmingus Ceterique sepedicto abbati vendidimus omnes partes nostras, excepta quarta parte quam possident Edlinga, et sexta parte dictarum reliquarum trium parcum quam possidet beno, item partes hæmingi in skærfsioryd, de dicta quarta que attinet Edhlingis et partes petri et alterius petri ibidem in vtroque, item in kutungahalffiardhong eidem abbati vendidimus nos omnes partes nostras, scilicet petrus et heredes Gunnolphi Ceterique excepta quarta parte vnius bol que attinet Gregorio et tercia parte que attinet Thyrnero, in quorum euidenciam nobiles viros, scilicet dominum haquinum prepositum et Attonem Throtason, qui huic nostre recognicioni presentes affuerunt Rogauimus presentes sigillare, in testimonium veritatis, Actum anno domini M^o CCC^o XII^o, quarta dominica post pascha.

På frânsidan: Starflohult scarfsiorydh.

Sigillen skadade.

1846.

1312 den 28 April.

Bergsätra.



Ereng~~e~~le Jonssons enka, CECILIA JOARSDOTTER, bortbyter sina gods i Björk till Biskop Brynolf i Skara, mot hans gods på ön Fulu.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Omnibus presens scriptum cernentibus,, CECILIA JOARS DOTTER relicta Aringisli joonsson,, salutem in domino sempiternam,, Notum facio per presentes, Me cum venerabili patre domino bryniulpho episcopo scarensi permutationem quandam prediorum fecisse per hunc modum, videlicet quod ego recepi ab eo omnia predia sua in insula fulu cum colonijs ac ceteris pertinencijs intra sepes et extra, pro quibus refudi sibi omnia predia que in biork habui, cum agris, pratis, piscarijs, colonijs ac singulis pertinencijs

jntra sepes et extra, jure perpetuo possidenda,, Ne igitur super permu-
tatione predicta aliqua possit in posterum dubietas suboriri, sigillum meuni
presentibus est appensum,, Datum biærgsætrum,, anno domini. Millesimo:
Træcentesimo, duodecimo, Die beati vitalis martiris.

På frånsidan: byork et fulæ.

Sigillet bortfallet från den ur brevet klippta remsan.

1847.

1312 den 2 Maj.

Vienne.

Påfven CLEMENS V meddelar Ärkebiskopen i Upsala och Biskoparne i Skara och Linköping underrättelse rörande ransakningen på kyrkomötet i Vienne om Tempelherrarnes förbrytelser och det derstädes fattade beslut, att deras orden skulle upphävas och deras gods öfverlemnas till Johanniter bröderna.

Hardouinus, Acta Concilior. et Epist. decr. VII: 1344.

CLEMENS episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis archiepiscopo Up-
salensi, et Scarensi ac Lincopensi episcopis. Ad providam Christi vicarii
præsidentis in specula Apostolicæ dignitatis circumspectionem pertinet vices
pensare temporum emergentium, negotiorum causas discutere, ac personarum
attendere qualitates: ut ad singula debitum dirigens necessariæ considerationis
intuitum, et opportune manum operationis apponens, de agro Domini sic
vitiorum tribulos eruat, ut virtutes amplificet; sic prævaricantium spinas
tollat, ut evellendo plus plantet quam destruat; et in loca vacua per era-
dicationem nocentium tribulorum, devota Deo plantamina transferendo,
potiorem præbeat de provisa et utili eorum locorum unione et translatione
lætitiam, quam vera justitia, quæ compassionem habet, doloris intulerit
detrimentum, personarum et locorum hujusmodi per ruinam. Sic enim
sufferendo quod officit, et subrogando quod proficit, virtutum profectus
amplificat, et sublata de medio meliori subrogatione restaurat. Dudum si-
quidem ordinem domus militiæ Templi Hierosolymitani, propter Magistrum,
et fratres, ceterasque personas dicti ordinis in quibuslibet mundi partibus
consistentes, variis et diversis non tam nefandis, quam infandis, proh dolor!
errorum et scelerum obscenitatibus, pravitatibus, maculis, et labe respersos;
quæ propter tristem et spureidam eorum memoriam nostris litteris subticu-
imus, ejusdemque ordinis statum, habitum, atque nomen, non sine cordis
amaritudine et dolore, sacro approbante concilio, non per modum diffinitivæ
sententiæ, cum eam super hoc secundum inquisitiones, et processus super
his habitos, non possemus ferre de jure; sed per viam provisionis, seu or-
dinationis